S. D. Quamvis nihil habeo, quod ad tuam humanitatem nunc scribam, placuit nihilominus hoc ipsum scribere ut me tui memorem esse perspiceres. Si tabellariorum daretur nobis frequentior occasio, crebriores nostras acciperes. Sed aut raro datur, aut tunc cum minime vacat. Valde cuperem te Senecam redire, quemadmodum ipse et cives te libenter reciperent. Nunc futura sunt Comitia, indicta ad mensem Novembrem sunt Wormatiam. Quid futurum sit ignoro, indicta esse certo scio. Posset forte aliquid tunc agi, siquidem maturior de talibus fieret deliberatio. Nec futurum est difficile nostros consulere, cum non absit ab urbe nostra Wormatia 4 magnis miliaribus germanicis longius.

Puto te protocollum cum responsione iam legisse. Scripsit contra nos Joan. Marbachius D. Ecclesiae Argentinensis Superintendens, asinus, magnum volumen. Ei respondit minister quidam Heidelbergensis, et alius Lautrensis, et alius Mosbacensis, et tandem ego etiam. Sed ea soli attigi, quae in me nominatim scripsit. Si possim ego plana tibi singulorum mittam. Caetera Deo opt. max. sit gratia, satis habent commode. Deus opt. max. faxit, ut suae Ecclesiae diu superstes maneas. Amen. Die 8. Septemb. anno 1565.

Tuus totus Thomas
Erastus.

1565. Sept: 8.

1567. Feb:

Viro pietate, constantia
et fide clarissimo, D.
Doct. Alberto Harder-
bergio ministro Chri-
sti verbique fidelissimo,
Dno suo plurimum colendo